LOGOGRYPHUS
ARCANORUM PHILOSOPHICORUM.

SUB AUSPICIIS

GENTILITII GRYPHI,

ILLUSTRISSIMI DOMINI,

D. STEPHANI NICOLAI

In Tyczyn & Mrocza,

BRANICKI,

COMITIS IN RUSCA,

Capitanei Branscensis, Crosnicensis, &c &c.

EXPLICATUS,

PER

ANDREAM SIMONEM PHILIPOWSKI,

In Collegio Varsauiensi Societatis IESU Philosophum absolutum,

PRÆSIDE:

R. P. IOANNE GODEBSKI, SOCIETATIS IESU. Artium Liberalium & Philosophiæ Doctore, eiusdemque in Collegio Varsauiensi Societatis IESU Ordinario PROFESSORE.

ANNO DOMINI, M. DC. LXXXIII.

VARSAVIÆ, Excudebat Carolus Ferdinandus Schreiber.

JN GENTILITIVM STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS BRANICIANÆ.



Sarmata, non ne vides quibus es munitus ab armis
Et Tua præsidijs sub quibus ora latet:
Lucifugas volucres fugat aëre Regius Ales
Belliger hic Geticas GRYPS *ferit vngue feras.*

A D

JLLVSTRISSIMVM DOMINVM,

D. STEPHANVM NICOLAVM

In Tyczyn & Mrocza,

BRANICKI,

COMITEM IN RVSCA,

Branſcenſem, Croſnicenſem, &c &c. &c.

CAPITANEVM,

Dominum ac Patronum Colendiſsimum,

Nec non

Mecænatem Munificentiſſimum.

PEr ſpeculum in ænigmate hactenus propoſita arcana Philoſophiæ, vt facie ad faciem in Poloni Orbis ſpectentur facie, ſub vmbra alarum Gentilitiæ Volucris tuæ ſeſe explicant. ILLVSTRISSIME DOMINE. Currebat hactenus, vel potiùs variis inuoluta difficultatibus voluebatur Philoſophia, nunc porro aſſumet in Tuo Jlluſtriſſimo Grypho alas, curret Leoninis paſſibus & non deficiet, qui magnis ad gloriam nunquam laſſus itineribus, nunc etiam ad ſolem pennas explicat. Diuiſa vel ipſi olim ſuperi tenuerunt imperia.

Iupiter in cælo regnat, Neptunus in vndis.

Tuus ILLVSTRISSIMVS GRYPHVS Rex ſimul animalium & volucrum, terram & cælos implet, nihilque ſibi ad altiſſima enitenti vel ex æthere Occurret formidabile, vel è terris leuatum infeſtis ſequetur paſ-

sibus à fronte tuente Aquilâ, à tergo excubante Leone. Cognita vel ab ipsis vnguiculis in teneriore Tua ætate Leonina indoles, dum illa quæ de forti exiuit, in te etiam reperta suauitas, quando adolescens in Varsauiensi Lycæo ætatē Tuam supergressus, illâ comitate morū in omnium influxisti animos, quàm multis prouectior negauit ætas. Erumpebat illa in Rhetorico studio vis eloquentiæ, quæ maturo in iuuentute eloquio in Comitiis adeò attonitum reddidit auditorium, vt nihil de Te non maximi à summis æquè ac infimis tantâ animorum consensione promitteretur, quantâ dicendi vehementiâ omnium possedisti in applausum ora & affectus. Peregrinus quoque Sol Tuos magni nominis indices stupuit spiritus, dum Te hospitem in dissitis à Patrio foco plagis venerabundus eâ excepit auiditate, vt neque vrbana Galliarū comitas Tuâ exsatiaretur morum suauitate: neq; Maris pariter ac liberarū mentiū dominatrix Veneta Respnbl. satis Tuā miraretur generositatem, nec demum Orbis Vrbs Domina sibi ingenitā dignè celebraret indolem, quam abdito etiam in cultu latentem, maximam esse agnouit, probauitque. Quid enim in Te non magnum ante ipsa poterat esse incrementa? in quem Polona Maiestas sua reflexit decora, nec nasci paruus poteras, qui magni sanguinis heres, illam quæ Orbem implet ipsis natalibus in Te deriuasti gloriam. Non amiserunt magna nomina ad Te velut ad Oceanum confluentes fluuii, intulit pleno alueo sua decora LVBOMIRSCIANA SRZENIAWA, & CZANIECIORVM ONERARIA illas quæ sanguine emuntur importauit opes, quas tantò in Te liberalius effudit, quantò magno illi Heroi Illustrissimo posthumæ memoriæ CZARNIECIO Auo Tuo, sanguine vicinior es, qui nominis gloriâ Orbem, Poloniam impleuit victoriis. Recrudescunt adhuc hosti ad terrorem, illi ad posthumam gloriam in Sueco cicatrices, dum salutare Poloniæ, fatale Hiperboreis plagis refricat excidium, cuius recordatio celebrem etiam apud hostes Illustrissimi Aui Tui reuocat memoriam, vt vel hinc minùs ignominiosas clades esse censeant, quod à tanto Heròé illatas patiantur. Ad characterem enim illi potiùs gloriæ, quam ad sensum doloris referunt vulnera, quæ à tantis incisa manibus, cùm fasciarent, se obligatos ad æternam tanti viri fatebantur memoriam. Non miror iam inter Romanas Aquilas, belli fulmina Scipiadas, etiam Sarmaticus ales felicissimus Tonantis armiger non semel in Illustrissimo Auo Tuo martium vibrauit fulmen, qui fulminis ocíior alis priùs inter vulnera sentiebatur, quam aduenire crèderetur. Vt quid enim ille cunctatoris ad victoriam progrederetur passibus, cui æquè ad consilia ac ad arma prompta indoles, nec in præmeditando ventura, nec in exequendo meditata segnior fuerat. Volabat ille per terras, currebat per Oceanum, vt elementa illi suam obligasse fidem censerentur, dum solidum mare, tellurem expertus peruiam, tantam præsetulit prudentiam, tantam in persequendo hostium Phalanges industriam! vt semper absens vbi quærebatur, semper præsens vbi non sperabatur; etiam admirationi spatium subitis cladibus non relinqueret, dum priùs exspirarent, quàm ad imminentes gladios respicerent. *Lusit ille cum* Suetico *Leone tanquam cum agno*, quoties inerti turbæ, militari illusit stratagemmate, nihilque Leoninum in palanti-

lantibus expertus greſſibus, ſatis fidele marti libauit holocauſtum, dum bene paſtas Lechicis prædis, nec nuntio cladis relicto immolauit victimas. Expertus eſt ſemper quam in ſua coëgit imperia fortunam comitem, ſed magis pediſſequam virtutem quam vbique integram circumtulit, nullo in loco non eandem geſſit. Verum dum CZARNIECIORVM oneraria vltra Lechicos amnes Tuum ILLUSTRISSIME DOMINE tranſportat nomen, fideliſſimè illud ſibi inſculpit BOKVMORVM Saxum, vt nullâ obliuione eripi valeas cui tanta ad æternitatem ſunt adiumenta: Non vulgaris hic ponderis Molaris eſt, quem non terrena grauitas ad humile centrum deprimit, ſed magni virtus pretii in ſublime euehit, dum poſt tot meritorum impulſus non violento itinere, ſed ſuaui paſſu in altum procedit. Nemo ambiget hunc eſſe pretioſum lapidem, qui non tam auro, quam humanis pectoribus inſitus, tantò ſplendidiùs emicat, quantò maiori demiſſione lucem temperat. Lydium ego ſaxum hunc molarem cenſuerim qui rerum diſtinguens pretium, non niſi optima approbat, tantoque Illuſtriſſimo Tuo GRYPHO magis affinis eſt, quãtò hæc volucris optimi auri ſtudioſior cenſetur. Sed parùm eſſet terrenâ affinitate Te multis iungi, niſi etiam de Diuorum participares ſanguine. *Os etiam ex oſsibus KOSTKARVM es*, eòque Proſapiæ Tuæ præmiſiſti colonias vbi manſiones multæ ſeram expectãt poſteritatẽ. Verum qui ex tot Capitibus lucidiſſimis illuſtris es, LESCZYNIORVM quoq; ac KVRDWANOVIORVM Capita in Te etiam ſua deriuant decora, ex quibus velut vnguentum, bonus odor nominis in reliqua Polonæ Reipublicæ deſcendit membra. Quod ſi TARŁOVIANOS & IEŁOVICIANOS leuabimus faſces, ab his etiam omnis expers rubiginis in Te redundat ſplendor, qui tantò maior eſt, quantò longiori ab vſu illuſtriùs ſplendeſcunt ASCIÆ. In Te adhuc Illuſtriſſimumq; BRANICIORVM GRYPHVM, Gentilitiæ WAPOWSCIORVM, KOBIERZYCIORVM, KOCHANOVIORVM, nec non MOKRZECIORVM, notiſſimarum Orbi Polono Proſâpiarum ceræ ſuos refundunt ſplendores; & quam immortali Maiorum ſuorum virtute ſibi compararunt æternitatem, eam veluti vectigalia Flumina pleno in Te deriuant alueo, ad maximam id ſui nominis gloriam referendo eâ coniungi ſanguinis neceſſitudine, in cuius claritatem non terrena duntaxat illabuntur Lumina, ſed aſtris quoque illâta ſidera Tuos inſpirant radios quibus ipſorum Cœlitum contrahitur affinitas. Sed cur ego tam vaſtam decorum Tuorum euoluo Iliadem, certo illa non poteſt circumſcribi numero. Quod ſi aliena laudat qui Genus extollit, parùm de Te diceret, qui tantùm Maiorum Tuorum gloriam in Te reflecteret. Non alienis decorus plumis BRANICIANVS GRYPHVS luctatur in altum, ſed quas propria virtus aptauit pennas ad ſolem expandit. Multis timor, multis amor addit alas, Tuam porrò Volucrẽ non niſi Patriæ amor in altùm leuat, non niſi timor eorum quibus iniquè humana tenentur deſideria, ab humo ſublimat, Non per inane fertur altioribus aſſuetus itineribus Ales Tuus, non enim vanitatis ille ſectator eſt, ſed leues prætervectus auras,

assueta luci in Phœbo defigit lumina. Vidit vel suo in Succamerario Auo Tuo IOANNE BRANICKI Cracouia leniores ad illa, quibus alii ambitiosè rapiuntur, pennas, qui licet virtute altissima meruit, demissionis studio sublimia contempsit, ratus non posse altiùs Gentilitiam Volucrem euolare, quàm per humiles in profundùm nisus. Verùm non sinit per humiles calles diu suos virtus serpere candidatos, Illustrissimo enim PARENTI Tuo ad Senatorios euecto fasces quam peridoneum & ad promouendam nominis imortalitatem, & conciliandos Procerum Regni animos virtus detulit negotium, dum liberarum vocum dispensatricem ei concredidit facultatem, quâ veluti virga directionis Polonæ libertatis tuebatur Maiestatem. Et profectò suâ nullatenus spe cecidit illa, ita namque Illustrissimus PARENS Tuus hanc muneris sui virgâ auspicatò moderabatur, vt non solùm parium sibi corda deuinceret & ora, verum etiam Serenissimorum Regum animos suæ obligatos teneret dexteritati, quæ nisi per mortis inuidiam agere in humanis tam cito desiisset, iam dudùm in auge honorum collocata propitios afflictæ pronunc Patriæ temperaret influxus. Etiam illa quæ honorum hostis est Societas, Tuum singulariter honorauit Patruum, ad gloriam id sui referens ordinis eius sequi imperia, qui maximè declinauit imperiũ. Fertur etiã inter ipsas minimæ Societatis valles altissimè Illustrissimus GRYPHVS Tuus, qui in ipsa humilitate sublimitatem nactus, nunquam ita demissione sui descendit, quin nouos in altum passus non moliatur. Portabit hæc addicta coelo volucris in sublimè, sibi dicatum Logogryphum, nec in tanta lucis Copia inter stagyritica ænigmata patietur tenebras, quas ego in publica luce dum discuti cupio, Tuo Illustrissimo meum Logogryphum cõsigno nomini.

ILLVSTRISSIMÆ

DOMINATIONIS TVÆ,

Obsequentissimus
Seruus

ANDREAS PHILIPOWSKI

CONCLVSIONES EX VNIVERSA PHILOSOPHIA.

EX LOGICA.

I. Logica est propriè virtus Intellectûs, inclinans Potentiam ad actus in linea sua simpliciter bonos. Licet enim contingat actus per ipsam directos deflectere à vero, in cuius attingentia bonitas illorum consistit; tamen actus ipsi à Logica eliciti, hoc est dictamina, seu directio actiua, nequit esse falsa. Et quidem Logica Docens tam Topica, quàm Sophistica & Analytica in omni rigore est virtus; cùm nunquam per sua dictamina à vero exerret. Vtens Topica sumpta pro habitibus aliarum Scientiarum, à ratione Virtutis saltem in ampliori significatione, remoueri non potest: est enim non parua perfectio Intellectûs aliquarum rerum notitiam saltem probabilē comparare: imò S. Thomas cū Philosopho docent, eligibilius esse de rebus altissimis probabilitèr disputare, quàm hæc inferiora demonstratiuè cognoscere.

II. Virtutes Intellectuales sufficienter in quinq; species distribuuntur: In Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam, & Intellectum. Logica est propriè Scientia: cùm & de obiecto sit necessario, ac per naturam tali, secundùm rationem à se demonstratā; & ex certis ac euidentibus principijs naturam, passionesq; sui obiecti deducat. Est præterea propriè Ars: quia non ita demonstratiuè de suo obiecto procedit, vt in sola illius contemplatione quiescat; sed vlterius, ordinatur ad opus, & continet veram rationem aliquid efficiendi: quæ est propria ratio Artis. Philosophus dum Artem contradistinguit à scientia; rationem scientiæ usurpat strictissimè, pro habitu purè speculatiuo. Cæterùm dari habitus scientificos simul & artificiosos ad mentē Philosophi, constat ex eiusdem diuisione scientiæ in speculatiuam & Practicā.

III. Actus Intellectùs non bene remouentur à ratione praxis. Sicut enim actus voluntatis intimari, & dirigi potest ab Intellectu; ita etiam vnus actus Intellectùs dirigi potest per alium: quo casu verè Intellectus euadit extensione practicus, cùm non sistat in vno per modum finis, sed ad alium dirigendum se extendat. Omnis cognitio practica debet esse intrinsecè ordinata ad opus, & circa obiectum factibile; quorum alterutro deficiente deficit ratio practicæ. Ordo hic consistit in eò, quòd vel dictet obiectum faciendum, vel eiusdem efficiendi certam rationem contineat. Plures cognitiones etiam naturâ sua speculatiuæ possunt saltem mediatè deseruire ad praxim: quare non est contra naturam habitus simpliciter practici, qualis est Logica, continere cognitiones speculatiuas. Habitus enim in ratione practici vel speculatiui adæquatè specificantur à fine, non à cognitionibus: hi sunt; quorum finis est veritas: illi verò; quorum finis est opus.

IV. Differunt scientiæ pro diuersitate obiecti formalis, quod in speculatiuis non est aliud à ratione formali *sub qua*: in Practicis tamen habitibus, alia est ratio formalis sub qua, ab obiecto formali eiusdem; quod idem est cum forma ab habitu inducenda. Cuius diuersitatis ratio à priori est: quia habitus speculatiuus sistit in contemplatione sui obiecti, vnde præter motiuum cognitionis, quod eidem præexistere debet, non est assignabile aliud pro obiecto formali: habitus verò practicus vltrà cognitionem extendit se ad

opus: quare præter rationem motiuã cognitionis, & eidẽ præexistentẽ debet dari forma, quæ in ipsa operatione ab habitu practico adaptatur materiæ.

V. OPerationes Intellectûs, non ita fluunt à suo principio, vt à rectitudine deflectere non possint: quò fit, vt dari possit facultas aliqua, quæ illas per certas leges in officio contineat: & hæc est Logica artificialis: quæ pro obiecto materiali habet omnes tres mentis operationes sub ratione dirigibilium: pro Formali ipsam rectitudinem passiuam, siue formam, quam per sua præcepta adaptat materiali. Pro obiecto attributionis ipsum complexũ ex materiali, & formali, rectam scilicet operationem; nec minùs primam & secundam quàm tertiam: cum singulis his speciebus conueniat ratio totius operis, constantis ex materiali & formali obiecto facultatis: quamuis per accidens & prima secundæ, & hæc tertiæ mentis operationi deseruiat. Voces igitur & res contradistinctas ab intentionalibus, multò magis entia rationis ficta, tanquam importuna in re seria commenta, ab obiecto Logicæ relegamus. Hic labor Logicæ in dirigendis mentis operationibus, præter alia ingentia rectificati Intellectus commoda, etiam ex eo non est otiosus, quòd sine illius adminiculo, aliæ Scientiæ ad suam perfectionem vix securè gradum promouere possint, sine periculo incidendi in plagas sophisticas, quas in omni fere materia apparentia mentita veritatem tetendit: quò fit, vt Logica ad perfectã aliarum Scientiarum consecutionem moraliter sit necessaria.

VI. SIgnum est, quod præter speciem sui, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Hæc signa alia sunt naturalia; quæ propter naturalem sui connexionem cum alio, apta sunt manuducere cognoscentem in notitiam alterius: Alia ad placitum; quæ ex hominum instituto & conuentione idem præstant. Voces humanæ, quarum scilicet in consortio humano, ad manifestandos internos mentis conceptus, vsus est; non significant res ex natura rei, sed ad placitum. quæ significatio est immediata rerum, mediata conceptuum.

VII. DAri veritatem formalem Enunciationum etiam à negantibus illam signatè, exercitè sufficienter probatur. Da enim esse verum, non dari veritatem, ex hoc ipso verissimum erit dari veritatem. In quacunq; materia Propositio sit vera, est vera per denominationem partim sibi intrinsecam, & partim extrinsecam: est enim vera formaliter per hoc; quod ipsa repræsentet obiectum, & obiectum ita se habeat, prout repræsentatur: quorum vnum est intrinsecum propositionibus, alterum extrinsecum. Expressit hoc breuibus Philosophus, dum ait: *Eo quòd res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur.* Ex duabus propositionibus contradictorijs de futuro in materia contingenti, altera est determinatè vera, altera determinatè falsa: implicat enim pro vlla differentia temporis per propositioem importata, obiectum illius nec determinatè esse, nec determinatè non esse. In hac impossibilitate fundatur, quod Propositiones disiunctiuæ sub disiuncto contradictorio, necessariò veræ ab omnibus agnoscantur; talis est hæc ex millibus: *Cras vel pluet, vel non pluet.* cuius si neutra partium determinatè esset vera, tota Propositio non solùm ab insipientibus, sed etiam à sapientibus negari posset: sicut hæc alia: *cras vel pluet vel ninget.* Eadem omninò militant pro veritate conditionalium sub quauis hypothesi etiam disparata:

adeoq;

adeoq; illæ etiam ſunt determinatè veræ, vel determinatè falſæ. Et quidē ad veritatem huiuſmodi propoſitionum non requiritur exiſtentia obiecti pro vlla differentia temporis: cùm non affirment obiectum quod ſit vel fuerit, ſed quod eſſet purificata conditione. Si durarent Propoſitiones per plura inſtantia, poſſent tranſire de veris in falſas, & è contra: quia ſine vllo ſuo diſcrimine poſſunt mutare obiecta per accidens repræſentata.

VIII. NEquit Intellectus aſſentiri duabus propoſitionibus contradictorijs clarè apparentibus vt talibus. Cùm in præmiſſis ſemper includatur concluſio, fit, vt præmiſſæ rectè diſpoſitæ, & ritè penetratæ neceſſitent Intellectum ad concluſionem neceſſitate quò ad ſpeciem actûs, ſeu contrarietatis. Neceſſitant etiam neceſſitate contradictionis, ſiue quò ad exercitium: quia ita inſtructus Intellectus, habet omnia requiſita ad eliciendam concluſionem: & conſequenter pro natura & indole potentiarum neceſſariarum, non poteſt non elicere.

IX. AD aſſenſum concluſionis præſtandum, non prærequiritur iudicium de bonitate illationis; cum etiam ſine illo aliunde habeat Intellectus determinatiuum aſſensûs; ipſam videlicet identitatem extremorum cum medio in præmiſſis. Hoc determinatiuum ſufficienter diſcriminat aſſenſum per modum illationis, ab aſſenſu ſimplici præmiſſarum, quibus immediatè aſſentimur. Intellectus in concluſione reflectit ſe ſupra obiecta præmiſſarum: omnis enim actus intentionalis attingit non ſolum obiectum materiale, ſed etiam imò magis, formale, quotiès aſſentitur ratione alterius. Non eſt tamen neceſſe, quòd reflectat ſe ſupra præmiſſas formales: quæ quidem in genere motiui ſuſtinent puram rationem conditionis, per hoc, quod applicant obiectum ipſum formale motiuum; in genere tamen efficientis ſunt cauſa concluſionis, refundens in illam eam probabilitatem vel certitudinem, claritatem vel obſcuritatem, quâ ipſæ pollent.

X. DEmonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Ad omnem Demonſtrationem debet præcognoſci ſubiectū circa *quid eſt*; ad demonſtrandum prædicatum reale debet vlterius præcognoſci circa *an eſt*. Prædicatum verò debet præcognoſci *quid ſit*, ſed non, *an ſit*. Certitudo actùs non poteſt refundi in ſolam neceſſitatem obiecti: conſtat enim multos actus in materia contingenti eſſe certiſſimos, nec pauciores in materia neceſſaria ſolùm probabiles. Neq; etiam conſiſtit in firma & inconcuſſa mentis adhæſione, etiamſi cum veritate coniungatur: ſed in determinatione quadam intrinſeca ad verū, orta ex principijs vel obiectiuè vel efficienter influentibus, vel ex vtriſq; ſimul. Actus opinionis per ſe non certificat intellectum; neq; tamen poſitiuè facit incertum, ſiue fluctuantem, & dubitantem de veritate obiecti. Poteſt ſimul de eodem obiecto ſtare in Intellectu ſcientia & opinio, ac etiam fides tam humana quàm diuina: non enim implicat ex diuerſis motiuis idem obiectum clarè & obſcurè Intellectui præſentari.

EX PHYSICA.

XI. SCientia Naturalis contemplatur ens Naturale: cuius tria agnoſcit principia in fieri mutationis; Materiam ſcilicet, Formam, & priuationem: in facto eſſe duo poſitiua, Materiam & Formam. Dari materiam primam,

 ſiue

siue subiectum commune rerum omniũ, ex quo inexistente fiunt, quæcunq; fiunt; demonstrabile est ex ipsis rerum substantialium transmutationibus; in quibus negari non potest, dari aliquid ex quo sit genitum, ex quo eodem erat corruptum; nisi quis apostata à veritate & ratione, omnia in nihilum abire, & ex nihilo fieri contendat, supra virtutem agentium Naturalium, nihil vnquam ex nihilo molientium. Subiectum hoc commune necesse est esse ingenerabile & incorruptibile: si enim generaretur, ex aliquo sibi præexistente fieret: nam actio productiua ex nihilo & independens à subiecto, est supra facultatem naturæ: subiecto autem omnium primo aliquid præexistere, est terminorum repugnantia. Corrumpi etiam nequit actione agentium naturalium, quæ nihil vnquam in nihilum redigere possunt, cum petant semper ipsam suam actionem recipi in aliquo subiecto: hinc fit, quòd necessariò vnius corruptio sit generatio alterius. Materia prima secundum se considerata, ita est pura potentia physica, vt nullo modo sit actus physicus: non est tamen, nec esse potest pura potentia metaphysica excludens actum etiam entitatiuum, si intelligatur extra causas posita. Nam ita considerata, nequit esse nihil; cùm sit terminus actionis Diuinæ creatiuæ transferentis illam à statu possibilitatis ad statum existentiæ: quæ translatio per existentiam formæ intelligi non potest, cum hæc ipsa existentia formæ pendeat à materiâ physicè & realiter: pendere autem hoc modo ab eo, quod in se nulla est entitas, & nihil est in actu, non potest. Potentia materiæ ad formas, non est aliquid illi superadditum, sed ipsa essentia illius. Prærer potentiam datur etiam appetitus innatus in materia ad formas simpliciter omnes, etiam corruptas, & æquales sine discrimine nobilitatis formarum. Appetitus hic à potentia solùm formaliter ratione nostra distinguitur.

XII. PRæter materiam primam, naturâ suâ indiferentem ad quamlibet substantiam materialem, admitti debet aliud comprincipium substantiale, specialiter determinans substantiam ad hanc vel illam speciem entis: quod comprincipium Forma, seu actus physicus substantialis nuncupatur: qui tamen nõ est tota quidditas substantiæ. Tam negationes, quàm priuationes, vt aiunt, obiectiuæ, propriè loquendo nihil sunt; vnde incompossibile cum re, quæ non est, nonnisi metaphoricè dici potest negatio rei. Differunt autem inter se secundum rem, quam excludunt; hoc est secundùm id, quod significant, non verò secundùm id pro quo supponunt: quod cum sit nihil, in nulla potest esse specie entis. Principiat Priuatio in fieri mutationis, dum suo modo est; quo instanti licet nondum habeatur mutatio perfecta, est tamen inchoata.

XIII. ACtus & Potentia, quæ sunt partes substantiæ; non componunt illam formaliter per hoc, quod sibi coëxistant; neq; per intimam præsentiam vnius in alio etiam quomodolibet disposito: Sed requiritur nexus substantialis siue vnio ab vtroq; realiter modaliter distincta. Hæc tamen vnio sine necessitate multiplicatur, cum vnica abunde sufficiat: de ratione enim illius est, quod sit nexus pluriũ, & ratio formalis, quâ plura coalescunt in vnum. Pro subiecto inhæsionis vnioni congruentius assignatur solum primum subiectum: quamuis negari non possit etiam formam esse subiectum adhæsionis.

XIV. RAtio naturæ, secundùm quàm entia naturalia nuncupantur, consistit in eo, quod sit principium motûs & quietis eius, in quo est primo & per se. Tam materiæ, quàm formæ conuenit ratio propria naturæ; non tamen vnioni: compositum ipsum substantiale melius naturale quàm naturam dixeris. Ad rationem naturæ sufficit esse principium alterutrius, motûs scilicet vel quietis. Si quis tamen fingat corpus omninò immobile, eo ipso exuet illud ratione naturæ, quæ exigit esse principium quietis non negatiuè, sed positiuè vel saltem priuatiuè acceptæ, dicentis videlicet ordinem ad motum qui fuerit, & cuius ipsa sit terminus: quod intelligi non potest in re simpliciter impotente moueri, quamuis bene intelligatur in non exigente moueri. Naturali in prædicta acceptione opponitur violentum; ad cuius rationem non sufficit quod sit ab extrinseco, nisi vlterius sit contra positiuam inclinationem passi in oppositum: cùm multi motus ab extraneo sint naturis rerum accõmodati, ac proinde violenti dici nequeunt. Opponuntur etiam naturali supernaturale & liberum: quorum primum communiter definitur, quod sit id, quod est supra vim & exigentiam cuiuslibet substantiæ creatæ. Liberum autem non ea ratione opponitur naturali, quasi non daretur in natura vis productiua actus liberi; sed quia naturale sæpè pro eodem sumitur, quod necessarium: hinc agentia naturalia dicuntur determinata ad vnum, non item libera. Ars naturæ imitatrix, etiam ipsa multa opera naturalia per applicationem actiuorum ad passiua molitur.

XV. CAusa rerum naturalium Efficiens est primum vnde motus aut quies quâ videlicet mouente mouetur, quidquid mouetur; & cessante cessat à motu. Ratio motus in ampliori significatione hic sumitur, pro mutatione etiam purè logica, consistente in transitu à non esse ad esse. Non solùm Causæ simpliciter Primæ, sed etiam Causis secundis Efficientibus conuenit propriè, esse primum vnde motus: licet enim hæ non moueant, nisi ab illa motæ; tamen non prius mouetur passum à Prima, quàm à secundis Causis. Causalitas agentium in actu secundo, quâ hic effectus pendet ab hac causa, est actio vtriq; superaddita: pẽdere enim hunc effectũ ab hac causa est denominatio realis, & realiter ab vtroq; separabilis; quòd omninò identificatis repugnat. Actio & Passio sola ratione distinguuntur, quatenùs idem motus considerari potest, & prout est ab Agente, & prout est in passo. Recipitur hic motus in Passo, quod solũ immutat, non in Agente. In confluxu plurium causarum partialium ad eundem numero effectum, vnica est omnium actio.

XVI. SUbstantiæ ad intra immediatè producunt accidentia sibi connaturalia; quibus non nisi mediantibus extendunt actionem suam ad extra. Virtus adæquata creata immediatè productiua substantiæ, sunt sola accidentia: constat enim positis solis accidentibus sufficienter aptantibus passum ad nouam formam generari nouas substantias, etiam absente omni substantia, cui sapienter vt Causæ immediatè influenti tribui possit effectus. Nec placet in tali rerum passu recursus ad Causam Primam pro supplendo defectu Causæ secundæ absentis: fingere enim exigentiam aliquam in natura, vt suppleat Devs defectum sufficientiæ creatæ requisitæ ad operandũ, non est iuxta indolem naturæ philosophari; quæ nunquam exigit concursum supremi Agentis, nisi ex parte creati præparetur sufficientia adæquata.

Minùs placent, qui id concedunt accidentibus in abſentia ſubſtantiæ, quam præſentem admittunt deinde in conſortium actionis: niſi ſimul concedant poſſe eundem indiuiſibiliter effectũ pendere à duplici ſufficientia adæquata. Cauſa principalis ſicut aliarũ rerum, ita etiam naſcentium ex putri, ſunt illæ ſubſtantiæ, à quibus eſt virtus immediatè productiua rei, quæ de nouo generatur. Poteſt etiam dici, quod in tali caſu Rana vt ſic generet Ranam; non quidem in ſenſu Platonico, quem damnamus, ſed in alio ſaniore. Contingit enim ex combinatione variarum cauſarum produci eam virtutem, cuius naturaliter Rana eſt elaboratiua ad propagandã ſuam ſpeciẽ, quo titulo ranæ virtus nuncupari meretur; quæ vlterius, cum nulli ranæ determinatè ſit debita, ſed ranæ cuilibet indeterminatè, Ranæ vt ſic virtus vocari poteſt.

XVII. CAuſa Finalis eſt illa cuius gratiâ cætera fiunt. Cauſalitas illius in actu primo, ſeu vis motiua, conſiſtit adæquatè in ſola bonitate obiecti, quod mouet: cognitio verò ſe habet purè per modum conditionis applicãtis vim motiuam, quæ nonniſi cognita mouet. neq; enim obtinendæ cognitionis gratia media adhibentur, ſed obiecti præcogniti. Effectus finis ſunt quæcunq; gratia illius fiunt. Cauſalitas illius in actu ſecundo, eſt ipſa actio, quâ ponuntur ea, quæ ſunt gratiâ finis, quatenùs ipſa etiam ſuo modo eſt à fine. Omnia agentia naturalia agunt propter finem, ſed non ſine diſcrimine; alia enim operantur propter finem à natura ſibi præſtitutum, & ex cognitione illius non ſibi ſed Authori ſuo inexiſtente: alia verò ex cognitione quidem propria ſimpatico quodam impetu in media cognita feruntur, ſed ſine vlla illatione proportionis mediorum cum fine: alia deniq; ita operantur, vt ipſa media ex conſilio rationis eligant. Agens etiam Increatum agit propter finem ſine vlla tamen ſui immutatione, cum hic finis illius non ſit alius ab ipſo; à quo omnia procedunt, vt à primo Principio, & ad quem omnia ordinantur, tanquam ad vltimum finem.

XVIII. IDea ſiue cauſa exemplaris non conſiſtit in conceptu formali, ſed obiectiuo; niſi forte conceptus formalis tranſeat reflexè in obiectiuum: Eſt enim Idea forma, quam effectus imitatur; imitatur autem non cognitionem, ſed obiectum per cognitionem Agenti præſentatum. Reducitur Idea ad Cauſam Efficientem, quam proximè cõſtituit potentem operari per modum formæ a qua procedit effectus. Sicut enim in naturalibus effectus imitatur formam agentis naturalem, ita etiam in artefactis formam artificialem ab Artifice præconceptam: & propterea non conſtituit ſpeciale genus cauſæ ab Efficiente. Dari fatũ ſub ea ratione, ſub qua illud Bòëtius & quidem eleganter deſcribit, certum eſt; quod nihil aliud eſt, quàm *in rebus naturâ ſua mobilibus diſpoſitio immobilis, per quam Diuina Prouidentia ſuis quæq; nectit ordinibus*. Dubitare enim nõ licet hoc Fato omnia fieri, diuina ſcilicet Prouidẽtia vel intendente quæ bona ſunt, vel permittẽ quæ ſunt mala; omnia autem ſiue bona ſiue mala ad gloriã ſuam ordinante. Ex quo ſequitur nihil poſſe eſſe caſuale reſpectu Dei, quamuis multa ſint reſpectu creaturarum.

XIX. CAuſa Materialis concurrit ad formas materiales per ſuſtentationẽ; ratione cuius concurſus exercet veram cauſalitatem in illas. Conſiſtit autem concurſus hic in eo, quòd adiuuet in ſufficientiam agentis creati impotentis quidquam ex nihilo producere; quæ ratio eſt, cur agens creatum

tum indigeat ſubiecto vt concauſa. Totum cauſat Materia cum Forma intrinſecè per vnionem, ſiue communicationem ſui cum Forma. Licet non ſit de ratione actionis, quâ producitur vnio, eſſe ſimul productiuam formæ; defacto tamen in ſubſtantijs adæquatè materialibus eadem actione ponitur, in natura & Forma & vnio. Cum enim in eodem inſtanti & ſubiectum ſit diſpoſitum ad vtrumq; & agens æq; vtriuſq; ſit productiuum, non eſt ratio cur actiones multiplicentur. Diſtinguitur totum realiter à ſingulis ſui partibus: eſt enim negabile de qualibet ſeorſim accepta. Quodſi ſumantur partes totius ſimul & collectiuè (intelligendo nomine patium, quidquid ad conſtitutionem totius pertinet, etiam formam ipſam totalitatis, ſi illa datur) non poteſt totum ab illis realiter diſtingui. Vel enim illud totum à partibus ſimul ſumptis diſtinctum eſſet vna aliqua partium ſubſtantiæ: vel aliquid præter partes eiuſdem omnes ſimul ſumptas, primum; manifeſtam inuoluit repugnantiam, quod pars ſit totum: alterum planè inexplicabile, quid ſit illud totum præter partes ſimul ſumptas. Hinc implicant ſe interminis, qui in genere cauſa intrinſecæ præter cauſas partiales, petunt vlterius adæquatam: ſicut certum eſt dari illam in genere cauſarum extrinſecarum. Nam eſſe cauſam intrinſecam, eſt eſſe partem componentem: & eſſe cauſam adæquatam, eſt eſſe cauſam vltra quam nulla alia ſit cauſa: ex quo vtriuſq; conceptu liquido deducitur, quòd qui petunt cauſam intrinſecam adæquatam, volunt habere partem componentem, vltra quam nihil aliud ſit componens; quod illis dari à nobis non poteſt.

XX. PRioritas naturæ eſt ordo vnius ad aliud, vt actus primi ad ſecundũ: quæcunq; igitur quomodolibet etiam per modũ applicationis pertinent ad conſtituendũ actum primũ proximũ reſpectu alterius, conuenienter priora naturâ reſpectu illius dici poſſunt. Talem agnoſcimus cauſam Efficientem, Finalem, & Materialem. Si enim ex nihilo nihil fit, neceſſe eſt quod fiat ex aliqua materia præexiſtente, & actum primum ſufficientiæ requiſitæ conſtituente. Formalis Cauſa dici nequit prior naturâ reſpectu ſui effectus fomalis, cum eadem actione, quâ ponitur ipſa, ponitur effectus ſimpliciter in rerum natura; conſequenter ſicut ſibi ipſi prærequiri non poteſt ex parte actus primi. ita nec effectui ſuo formali. Actio etiam non eſt prior naturâ; ſed ipſa prioritas cauſæ ad effectum, & indiuiſibiliter poſterioritas effectus ad cauſam: eſt enim ratio formaliſſima, quâ & cauſa dat eſſe effectui, & effectus recipit eſſe à cauſa. Non repugnat ex genere mutua prioritas: nam & Finis intentionaliter exiſtens cauſat media, & ab jiſdem cauſatur quò ad exiſtentiam phyſicam. Implicat tamen mutua cauſalitas ſecundum idẽ eſſe, & in eodẽ inſtanti reali, etiã in diuerſo genere cauſandi: cuius implicantiæ ratio eſt: quia nihil intelligi poteſt eſſe pro priori antequam ſit: ſi autem concipiantur duo mutuo ſibi priora, etiam ſe ipſis deberent intelligi priora, vt patet rem penitius conſideranti.

XXI. TErminus actionis generatiuæ ſimpliciter, eſt ſubſtantia, quæ per illam ponitur in rerum natura: terminus autẽ formalis, ſiue productus, eſt vnio extremorum ſecum. Accidentium phyſicorum ſubiectum eſt ſola materia prima, & non totum compoſitum: & quidem ſolius quantitatis immediatum, cæterorum mediantè quantitate. Reſolutio vſque ad

materiam primam ea ratione eſt impoſſibilis in natura, quòd vltima diſpoſitio cum ſe teneat ex parte efficientis, debet coexiſtere: implicat enim quòd aliquid quod fuit & non eſt, agat pro eo inſtanti pro quo nec ipſum iam eſt.

XXII. Alteratio eſt mutatio in paſſionibus ſeu qualitatibus contrarijs aut medijs manente eodem ſubiecto ſenſibili. Dupliciter conſiderari poteſt: vel quò ad extenſionem, quando qualitas ab vna parte ſubiecti propagatur ad alteram; vel quo ad intenſionem, quando in eadem parte ſubiecti magis magiſq; augetur. Secundùm vtramq; hanc conſiderationem motus alterationis eſt ſucceſſiuus, & continuus. Succeſſiuitatis ratio habetur à contrarietate qualitatum: continuitatis verò à neceſſitate agentium naturalium; quorum ea indoles eſt, vt in quocunque inſtanti habeat omnia requiſita ad agendum, nequeant ſuſpendere actionem. Intenſio qualitatis neque fit per depurationem à contrario; neque per maiorem radicationem, niſi nomine maioris radicationis intelligatur incrementum eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti, neq; per deſtructionem imperfectioris, & productionem indiuiſibiliter perfectioris; ſed per additionem partis ad partem eiuſdem rationis. Tam intenſio quàm extenſio qualitatum fit vniformiter difformiter per partes proportionales & non aliquotas.

XXIII. In qualitatibus corruptiuis ſimile non agit in ſimile: in qualitatibus tamen actiuis quidem ſed non corruptiuis non eſt improbabile dari actionem ſimilis in ſimile, imò & minus intenſi in magis intenſum. In Antiperiſtaſi cauſat intenſionem confluxus corpuſculorum peregrinorum, ea qualitate præditorum, quæ intenditur. Agentia naturalia per ſuam potentiam nequeunt agere in diſtans; ita vt aliquid producant in remoto, nihil agendo in medio. Aliquando tamen plus producunt eiuſdem qualitatis in partibus remotioribus, quàm vicinioribus: quod contingit vel propter collectionem actionis, vt in Refractione; vel etiam quia qualitas in obſiſtente recepta, adiuta à principali agente producit per lineam reflexam eam qualitatem, quam produceret per lineam directam. Neq; de potentia Dei abſoluta poſſunt eſſe plures aut pauciores cauſæ intrinſecæ eiuſdem numero effectus. Etiam naturaliter poſſunt eſſe plures totales in genere cauſæ finalis. In genere verò efficientis, non poſſunt quidē dari plures naturaliter, poſſunt ſupernaturaliter. Agens enim naturale vnicum in agendo finem habet intrinſecum, effectûs poſitionem, qui cum per vnam actionem obtineatur, omnis alia ſuperflueret: Agens tamen Intellectuale ſupernaturale præter finem illum intrinſecum, multos alios extrinſecos habere poteſt, ratione quorum plurificatio actionum etiam totalium non erit ſuperflua. Agentia contraria poſita inuicem intra ſphæram actiuitatis ita agunt, vt etiam repatiantur. In aliquibus qualitatibus non datur terminus magnitudinis intrinſecus: in alteratiuis datur magnitudinis intrinſecus, ſed extrinſecus nec magnitudinis datur, nec paruitatis: qualibet enim aſſignata poteſt qualitas naturaliter in minori conſiſtere.

XXIV. Cauſa Prima concurrit influxu immediato ad omnes & ſingulos effectus cauſarum ſecundarum; nec aliter cum Liberis, quàm cum neceſſarijs; ſed cum vtriſque per exhibitionem omnipotentiæ ſuæ determinabilis per ipſas cauſas ſecundas ad ſpeciem, & ad exercitium actûs.

Quæ de terminatio in causis necessarijs habetur per naturam ipsarum, determinatam ad certam speciem operationum, & exigentiam ingenitam ad operandum positis omnibus requisitis : in liberis verò per ipsam operationem. Prædeterminatio physica non sufficeret ad saluandum influxum Dei immediatum in effectus creatos, si per hoc intelligatur in illos influere, quòd ipsam producat prædeterminationem : si autem vlterius dicatur per illam & cum illa influere ; sine vlla necessitate adstruitur : cum hoc causis creatis abundè præstet sola omnipotentia Diuina ad cooperandum exhibita, sine vlla qualitate impressa. Sed vel maximè ex eo reprimenda videtur hæc physica impressio, quod vix cum illa saluari possit libertas creata : cum enim sit qualitas essentialiter determinata & determinans ad vnum tam ex contrarijs, quàm ex contradictorijs & naturâ antecedat operationem ; inuehit necessitatem antecedentem sublatiuam actûs primi indifferentis : siue enim se habeat per modum comprincipij ad operandum requisiti, vt antiquiores loquebantur ; siue per modum applicationis, vt aiunt moderni ; vtrumq; naturâ præcedere operationem extra controuersiam est : pro quo parum valet consuetum per sensum compositum & diuisum effugium : nisi quis capere possit Petrum ferreis catenis constrictum, liberè se non mouere, eò quòd in sensu etiam composito vinculorũ non amittat potentiam cum qua saltet : aut ignem liberè stuppam comburere, eò quòd in sensu diuiso ab applicatione, illæsam relinqueret. Quodsi quis illam contendat non antecedentem sed consequentem vel saltem concomitanter se habentem ad actum secundum liberi arbitrij ; fateor saluat libertatem, sed tollit naturam prædeterminationis, & sine vllo fundamento illam ponit, cum agnoscat independenter ab illa dari, quidquid requiritur ex parte principij ad actum, à quo, tanquam à sufficientia sua adæquata fluat actus. Determinatio ad indiuiduum tam in liberis, quàm in necessarijs habetur à sola Causa Prima.

XXV. MOtus est actus entis in potentia prout in potentia. Licet enim motus ipse sit aliquis actus, non est tamen ille, ad quem, tanquam ad terminum mouetur potentia : vnde quia per seipsum formaliter non extrahit subiectum à ratione potentiæ, dicitur ipse quidem esse actus, sed entis adhuc in potentia. Eandem habent inter se motus oppositionem, quam termini ipsorũ. Potest idem subiectũ pro diuersis sui partibus moueri ad contraria : imò & indiuisibile diuisibile spatium occupans, intra suum spatium adæquatum poterit moueri ad loca opposita. Non potest naturaliter idem corpus quò ad idem secundùm locum moueri motibus contrariis : nulla enim facultas est in natura duo aut plura loca adæquata occupandi.

XXVI. LOcus est superficies corporis continentis imobilis. Ex quo constat duo ad rationem loci physici requiri ; alterum est superficies corporis ambientis, alterum immobilitas, quæ consistit in certa distantia à partibus realiter vel imaginariè fixis ; & quidem superficies hæc vel illa indeterminatè, distantia verò ad identitatem loci requiritur determinatè. Ita Columna Serenissimi Sigismundi in hunc diem stat in eodem loco, etiamsi millies superficiem àeris ambientis mutauerit ; mutatura illum certè, si eadem superficie perseuerante, distantiam ipsam ad latum vnguem immutaret. Non repugnat de potentia absoluta plura corpora esse in eodem lo-

co : neq; idem corpus esse tam circumscriptiuè, quàm definitiuè in pluribus locis. Res sunt formaliter in loco per vbicationem sibi & loco extrinseco superadditam : esse enim hic, est denominatio realis rei vbicatæ & loco extrinseco contingenter adueniens, & ab vtroq; separabilis. Non omnia in composito vnica vbicatione vbicantur, sed singula singulis. Vnio intrinsecè extrema efficiens, exigit vt vbicunq; est vnum, ibidem sit & alterum ; hinc est, quòd vno ex ita vnitis replicato, connaturalius & alterum replicatur : nihil tamen vetat etiam seorsim replicari. Vbicatio ipsa, quamuis essentialiter sit affixa huic loco, ita vt nequeat esse, & non esse in hoc loco, potest nihilominùs etiam illa replicari : cum per hoc, quod sit alibi, nec sequitur quod sit, & non sit in hoc loco ; neq; quod non sit affixa essentialiter huic loco. Vacuum nequit dari per vllam potentiam naturalem : si daretur per absolutam, vt potest, motus in illo grauium & leuium fierent naturaliter.

XXVII. TEmpus est numerus motûs secundùm priùs & posterius. Res durant in tempore per duratione͂ sibi & tempori superadditam. Implicat aliquid in rerum natura esse, & nunquam, aut nusquam esse : datur enim necessitas metaphysica, vt quidquid ponatur in reru͂ natura, sit intra immensitatem & æternitatem Diuinam, cui còëxistat vel adæquatè & totaliter, vel solùm partialiter & inadæquatè : si primum, erit vbiq; & semper : si secundùm, erit alicubi & aliquando ; & commensurabitur non totaliter Immensitati & Æternitati Diuinæ, sed parti duntaxat virtuali earundem ; intra quas his vel illis partibus virtualibus Immensitatis, & his vel illis instantibus Æternitatis correspondeat : quod est formalissimè esse in loco iuxta co͂siderationem metaphysicam.

XXVIII. Implicat creatura omnium possibilium perfectissima, quâ perfectiorem Diuina sapientia excogitare, & Omnipotentia moliri non possit. Fundatur hæc impossibilitas in conceptu infinitatis Diuinæ tum in essendo, tum in operando ; de cuius ratione est, esse semper vlterius & vlterius in creaturis suis imitabilem. Infinitum categorematicu͂ in omni quantitate manifestas inuoluit repugnantias, terminati, interminati ; æqualis, inæqualis, & plures alias : quas frustra aliqui contendunt esse passiones entium finitorum, impertinenter deriuatas ad infinita : cum & inter Diuinas Personas simpliciter infinitas, sine vlla inæqualitate negari non possit omnimoda æqualitas.

XXIX. QVantitas molis est accidens superadditum rei quantæ. Effectus illius formalis non consistit in extensione locali partium ; cum hoc formaliter habeatur per vbicationem, cum qua non est confundenda quantitas, quâ eadem retenta, toties res quantæ mutant locum. Neq; in extreitate partiu͂ in ordine ad se : nam etiam præscindendo à quantitate habent partes exigentiam, vt vna sit extra aliam ; sunt enim natæ factæ facere totum huius vel illius figuræ. Consistit igitur formalissimè quantitas in impenetrabilitate naturali cum alio eodem accidente affecto. Hunc effectum consequitur extensio localis rerum, & sensibilis diuisibilitas earundem. Non dantur in co͂tinuò permanenti indiuisibilia, nec in successiuo instantia : multo minus puncta inflata ; nam indiuisibile locari diuisibiliter & exterminis repugnat,

pugnat,

pugnat, & eſt contra natura rerum materialium. Partes non inſunt continuò in actu, ſed in potentia; numerus enim in illis naſcitur ex diuiſione, & repugnare videtur in ea ratione eſſe actu plura, in qua ſunt actu vnnum.

XXX. VNus eſt mundus, iſq; perfectus. Moles Terraquea non eſt mathematicè, ſed phyſicè rotunda. Non eſt probabile ſub concauo lunæ dari ignem elementarem. Cæli præter Firmamentum probabilius ſunt liquidi: quam probabilitatem conciliant ipſa orbium cæleſtium ſeu planetarum phenomena, quæ cum ſoliditate cælorum combinari non poſſunt. Sunt etiam corruptibiles, & conſtant materia eiuſdem rationis cum noſtrate. Moueri orbes cæleſtes circulariter circa centrum vniuerſi ab extrinſeco, ſiue ab Intelligentia aſſiſtente, maximè ſuadet Authoritas & communis ſapientum ſenſus; ſed non eſt improbabile moueri ab intrinſeco niſu circulariter deferente circa centrum mundi; ſicut grauia mouentur ad centrum, & leuia à centro. Potuit mundus eſſe ab æterno ſyncategorematicè tam quò ad res permanentes, quàm quò ad ſucceſſiuas; ita vt quocunq; inſtanti intra æternitatem diuinam aſſignabili crearetur, potuerit prius creari. Implicat tamen fuiſſe ab æterno categorematicè: eſt enim neceſſitas metaphyſica vt data quacunq; duratione creata, in linea ſuæ æternitatis ſit Devs vlterius participabilis, ſicut & in alijs Diuinis ſuis perfectionibus; & creatura intelligi nequit, quin ſit ex nihilo ſui, & nihilum illius aliquando præceſſerit. Hinc merito & ſapienter Sancti Patres ex æternitate Verbi inferunt eſſe Devm.

XXXI. QVatuor ſunt Elementa, iuxta totidem poſſibiles primarum qualitatum combinationes. Igni conuenit calor in ſummo, in excellenti ſiccitas. Aeri humiditas in ſummo, in excellenti calor. Aquæ in ſummo frigus in excellenti humiditas. Terræ frigus in excellenti, ſiccitas in ſnmmo. Qualitates, in quibus Elementa ſymbolizant, ſunt eiuſdem rationis. Raritas & denſitas conſiſtit formaliter in minori vel maiori vbicatione, cum paucitate vel multitudine materiæ. Tam Leuitas, quàm Grauitas ſunt impetus innati grauibus & leuibus; quorum primus conſiſtit in niſu ſurſum, ſeu à medio, alter in niſu deorſum, ſeu ad medium. Motus naturalis grauium & leuium in fine eſt velocior, quàm à principio; quòd in medium refundi non poteſt; cum potius medium à fronte denſatum obnitatur, & à tergo rarefactum retrahat & impediat velocitatem. Eſt igitur cauſa accelerationis prædictorum motuum, incrementum impetûs in mobili; quod dum mouetur, ipſo motu acquirit nouas & nouas partes impetûs. In puncto reflexionis nulla datur quies: ſi enim per hoc diceretur mobile quieſcere, quod in eo inſtanti, in quo tangit obicem, ita tangit, vt nec in antecedenti, nec in ſequenti illum tangat; eodem iure dici poſſet, in quolibet puncto ſpatij, per quod tranſit, quieſcere: per plura autem inſtantia in obice morari nequit; cùm conſtat experientia quotidiana, ipſa quiete mobilis totū impetum acquiſitum amitti. Elementa in mixto non manent formaliter.

XXXII. ANima eſt actus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis. In hac definitione comparatur Anima non cum ſolo ſubiecto, quod informat, ſed cum toto corpore animato, in quo exercet rationē actûs determinantis ad hanc vel illam Speciem vitæ accidentalis. Moueri ab intrinſeco, non ſufficit ad rationem vitæ; niſi vlterius declaretur differen-

tia motûs ab intrinſeco animatorum, ab inanimatis; quæ etiam moueri tali motu liquido conſtat. Diſcrimen igitur conſiſtit in eo, quòd quæ non vitaliter etiam ab intrinſeco mouentur, non mouentur niſi ad diſpoſitionem ſtatui ſuo naturaliter debitam, in cuius poſſeſſione quieſcunt: animata verò tum primùm actu vitali ſe mouēt, cum ſunt ſecundùm diſpoſitionem ſuæ naturæ, & quò hæc diſpoſitio eſt perfectior, eò perfectiorem vitam in actu ſecundo exercent. Ratio vitæ poteſt abſtrahi ſub conceptu communi Deo & creaturis. Non animantur viuentia perfectiora ſucceſſiuè, ita vt præcedat ſenſitiuam vegetatiua, & illa rationalem. In quolibet viuente præter ſolam animam nullæ aliæ dantur formæ ſubſtantiales, ſiue partiales, ſiue totales.

XXXIII. PArtes viuentis ſolidæ, vt caro, oſſa, cor, hepar, cerebrum, &c. animantur ipsâ animâ viuentis: nutriuntur enim per intuſſumptionem & ſentiunt. Sanguis, cæteriq; humores nequeunt dici animati: quia elaborantur ab animali in proximum alimentum, aut fomentum eiuſdem: alimentum autem non poteſt intelligi pro priori animatum, antequam tranſeat in ſubſtantiam aliti. Pili, vnguens, ſquammæ, dentes, cornua, cæteraq; id genus animantur ſola anima vegetatiua, diuerſa ab anima animalis; ſuntq; in animali, ſicut fungi aut hederæ in arboribus, ad ornamentum aut etiam commodum aliquod animalis ſapienter à natura prouiſa. Potentiæ animæ neq; ab anima, neq; inter ſe diſtinguuntur, & ſine fundamento negatur animæ principium formale vitæ, quo viuentia formaliter viuunt. In potentijs ſenſitiuis, ſi nomine illarū intelligatur principium adæquatum ſenſationum includens organum ipſum, negari non poteſt illas inter ſe inadæquatè diſtingui: aliud enim eſt organum viſus, cum quo anima elicit viſionem; aliud organum auditus, cum quo eadem anima producit auditionem. Actuum immaterialium ſubiectum adæquatum ſola eſt anima; qui fluunt ab illa æque ſeparata ac coniuncta corpori. Actus animæ vegetatiuæ recipiuntur in ſola materia: eſt enim productio vel ſolius vnionis nouæ materiæ ad formam præexiſtentem, vel ſimul partis nouæ formæ; quod vtrumq; recipitur in materia. Animæ tamen ſenſitiuæ actus recipiuntur in toto: quia per hiuſmodi actus non ſolum organum immutatur, ſed etiam ipſa anima formaliter viuit in actu ſecundo.

XXXIV. DIci ſine errore nequit Animam rationalē poſſe demonſtrari non eſſe immortalem: quamuis ſine temeritate dicatur non demonſtrari illius immortalitatē. Rectiſſime tamen de illa ſentiunt, qui hanc illius perpetuitatē ſufficienter demōſtrari aiunt, tum ex principijs phyſicis, tum ex moralibus. Phyſica ſunt; ipſa videlicet natura formæ per ſe ſubſiſtentis, adiunctis ijs, quibus demonſtratur ſubiecti primi incorruptibilitas. Moralia verò: quod Deus ſit, & ſit iuſtus ac prouidus: vnde ſequitur impoſſibile eſſe male prouideri bonis, & bene malis: cum autem in præſenti mortalium ſtatu id ſæpe euenire contingat, neceſſe eſt alium pro anima dari ſtatum, in quo & mali mala, & boni recipiant bona. Omnes animæ dependentes à materia tanquam à cauſa ſunt diuiſibiles. Status ſeparationis animæ rationalis, non eſt illi violentus: Forma enim per ſe ſubſiſtens neq; ad eſſendum, neq; ad bene eſſendum indiget ſimpliciter ſubiecto: præſertim cum in tali ſtatu, cum ſpecibus in ſtatu vnionis comparatis, longe perfectius exerceat ſuas operationes.

XXXV. Cum

XXXV. CVm omni potentia sensitiua, ad quamlibet sensationem, debet concurrere species rei, quæ sentitur, vt eleuet organum ad operationem huiusmodi eliciendam; pro quo nihil facit qualiscunq; alia obiecti præsentia. Habitus potentiarum consistunt realiter in speciebus relictis ab actibus; intenduntur per actus frequentatos, etiam quomodolibet remissos: remittuntur tum per cessationem ab operando, tum per frequentationem actuum oppositorum: destruuntur verò vel per destructionem subiecti, vel per introductionem contrarij.

XXXVI. OBiectum voluntatis prosecutionis adæquatum, continetur intra solam rationem boni, extendendo illam ad bonum apparens. Bonum hominis beatificum est summum bonum, quod est solus DEVS. Beatitudo formalis non consistit in actu Intellectus, sed in actu solius voluntatis, in ipsa videlicet fruitione perfecta boni beatifici: est enim formalissimè quies hominis, vt homo est. Nec summum bonum necessario amatur à voluntate: potest tamen ita proponi non solùm summum bonū, sed quodlibet, sub ratione puri boni, vt necessario aliquo amore ametur. Possibilis est voluntati pura omissio libera: est enim potentia libera non solùm libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis.

EX METAPHYSICA.

XXXVII. RAtio Entis realis, quod est obiectum Metaphysicæ sub ipsa præcisa formalitate entis, conuenit vniuocè DEO & creaturis, substantiæ & accidenti: quamuis enim hæc sint longo interuallo inter se inæqualia, rationem tamen præcisam entis omnino æqualiter participant; siue illa consistat *in non repugnantia ad existendum physice*, siue *in oppositione chimeræ*. Dantur præcisiones formales non mutuæ: & hoc quidem sufficeret ad vniuocationem entis, etiamsi differentiæ ipsius non præscinderent ab ipso: de facto tamen non solum Ens à differentiis suis, sed etiam differentiæ illius formaliter præscindunt ab illo: nam nec Ens reale in suo conceptu præciso attingit & explicatur per connotata differentiarum; nec differentiæ per connotata entis realis. Est etiam Ens genus respectu specierum sub se contentarum, de quibus prædicatur in quid.

XXXVIII. PRæter possibilitatem rerum extrinsecam desumptam ab Omnipotentia Diuina, admitti debet possibilitas intrinseca, quæ sit terminus prioris. Non consistit illa in aliquo ente diminuto; sed in ipsa extremorum rem quidditatiuè constituentium non repugnantia. Impossibilitas è contra intrinseca rerum impossibilium formaliter consistit in repugnantia prædicatorum rem constituentium. Nullum impossibile posse physicè existere liquidum est: cum per hanc ipsam impotentiam ad existendum physicè rectè definiantur impossibilia: possunt tamen concipi & existere intentionaliter; ita vt ex parte obiecti respondeat actui nostri intellectus aliquid inuoluens repugnantiam; quod fieri potest sine vlla fictione circa obiectum. Potest hæc impossibilia repræsentare, & facere entia rationis metaphysica non solum Intellectus Angelicus, sed etiam Diuinus, non quidem per modum assensus prædicatis incompossibilibus, sed per modum puræ repræsentationis.

XXXIX. IDentitas distinctioni, & hæc vicissim identitati ita opponuntur, vt nequeant in eodem genere simul componi. Definitur Identitas, quod sit vera extremorum de se inuicem in recto affirmabilitas: è cōtra Distinctio, est vera extremorum de se inuicem negabilitas. Præter distinctionem realem, quæ est inter rem & rem (nomine rei amplè intelligendo etiam ipsos rerum modos:) datur etiam distinctio Rationis: quæ est eiusdem rei diuersa in Intellectu apparentia. Distinctio formalis ex natura rei non datur inter prædicata realiter identificata: probabilius est enim illa extrema distingui realiter, quorum vnum de alio negari potest; quàm ex sola inseparabilitate arguere identitatem realem. Quod autem admissa distinctione formali ex natura rei vnum extremum possit negari de alio, patet ex eò, quòd de quocunq; negatur definitio, negari debeat & definitum; apud distinguentes formaliter ex natura rei negatur definitio vnius extremi de alio; igitur negari debet & ipsum extremum de alio sibi identificato. Nulla proinde cogitari potest identitas intrinseca formalis, inter hominem & animal rationale, quæ non eadem omninò reperiatur inter animal & rationale eiusdem hominis. Quamuis enim idem homo sub conceptu animalis dicatur conuenire cum brutis, & disconuenire per rationale; tamen hæc conuenientia est tota extrinseca, fundata in similitudine operationum, à principiis realiter dissimilibus prouenientium: quæ licet sint essentialiter dissimilia, conceptu nihilominus inadæquato attingi possunt per ordinem ad ea sola connotata, quæ illis sunt communia, præscindendo ab aliis, per quæ illorum dissimilitudo intellectui præsentaretur. Est autem huiusmodi conceptus inadæquatos constat ex eò, quòd cùm animal hominis sit essentialiter diuersum ab animali bruti, implicat illud definiri adæquatè per conceptum vtriq; communem.

XL. DIstinctio virtualis obiectiua variè à variis explicatur; vltimò tandem reducitur ad capacitatem in obiecto verificandi contradictoria. hæc etiam non datur inter prædicata realiter identificata: idem enim de eodem affirmari & negari, primum principium lumine naturæ notum non patitur. Quod principium verum est non solùm de prædicatis intrinsecis, sed etiam extrinsecis: cum non minor sit repugnantia ad idem cognosci & non cognosci, quàm idem esse id quod est, & non esse. An saltem inter prædicata Diuina concedi possit hæc distinctio virtualis, non est nostræ decisionis: certè in creatis per solam distinctionem rationis omnia, quæ videntur contradictoria facilè dissoluuntur: nec ea eminentia in rebus creatis ad verificanda contradictoria sine fundamento admitti debet, quæ Enti Increato propter infinitam illius perfectionem conceditur.

XLI. INter prædicata realiter identificata, siue gradus metaphysicos eiusdem indiuidui sola datur distinctio Rationis: cuius fundamentum est, quòd vna eademq; entitas, cùm sit principium variarum & diuersarum operationum, potest illam intellectus modo ad plures, modo ad pauciores has vel illas referendo diuersis conceptibus repræsentare: quo fit, vt vna eademq; res indiuisibilis plures sui diuersas in Intellectu imagines sortita, & quasi multiplicata, à seipsa per easdem repræsentationes formaliter distinguatur. Requiruntur igitur connotata ad distinctionem formalem Rationis,

non

non tanquam id, per quod obiectum formaliter distinguatur in se, sed tanquam obliqua indirecta, per quæ diuersificentur cognitiones, ratione quarum obiecta in se inuariata, extrinsecè in Intellectu diuersificentur.

XLII. Vniuersale iuxta receptissimam notionem, est vnum aptum inesse multis, & prædicari de multis. Etiam admissa distinctione formali ex natura rei graduum superiorum ab inferioribus; adhuc vnitas intrinseca obiectiua naturæ vniuersalis saluari non potest, nec ipsum vniuersale in illa fundatum. tùm quia ex eò, quòd dicto modo distinguatur à rationibus indiuiduantibus non sequitur intrinsecè esse vnam, & non multiplicatam in se realiter: tum quia, etiamsi sequeretur, per hoc quod realiter identificaretur pluribus inter se realiter distinctis, sine vlla sui multiplicatione non euaderet vniuersalis: sicut nec Natura Diuina Tribus Personis realiter inter se distinctis, identificata realiter, euadit talis. Multo minus probabiliter aiunt naturam singularem persimilitudinem omnimodam cum alijs fieri vniuersalem; cum hæc nec insit pluribus, nec prædicari possit de pluribus. Nullæ etiam dantur naturæ in statu possibilitatis vniuersales, quæ deinde in statu existentiæ amittant vniuersalitatem: natura enim eò modo est possibilis, quò poni potest; nequit autem poni, nisi singularis; ergo nec est possibilis nisi singularis: sicut igitur existentes naturæ sunt in singularibus existentibus, ita possibiles in singularibus possibilibus.

XLIII. NAtura realiter multiplex, constituitur formaliter vna per conceptum præcisiuum abstractum à pluribus apparentibus per modum vnius exercitè: in tali enim conceptu cum non præsentetur obiectum intellectui cum rationibus plurificantibus, quæ realiter illi conueniunt, attingitur tanquam quid vnum exercitè: vi cuius conceptus non potest Intellectus inferre pluralitatem, neq; vnitatem obiecti. Hinc patet ad habendum vniuersale importunè recurri ad figmenta, affingendo obiectis realiter multis eam vnitatem, quam nec habent, nec habere possunt. A nulla alia potentia præter Intellectum propriè fieri potest vniuersale: cùm nulla alia sit abstractiuè repræsentatiua plurium per modum vnius. Intellectus verò non solum per actus directos tàm primæ, quàm secundæ & tertiæ mentis operationis facit vniuersalia, dummodo non attingat vt talia formaliter.

XLIV. QVinq; sunt species vniuersalium iuxta totidem diuersas abstractiones & prædicationes. Quidquid enim prædicatur de alio, prædicatur vel per modum adiacentis, vel per modum essentiæ. Si primum, erit Accidens Proprium, aut Commune. Si secundum: vel abstrahitur per modum totius quidditatis; & erit species: vel per modum partis indifferentis ad plures species, & erit Genus: vel deniq; per modum partis contrahentis rationem communem ad certam speciem; & erit Differentia. Vniuersalia hæc, dicta de suis inferioribus retinent in actuali prædicatione vniuersalitatem: eandem enim apparentiam habent prædicata, quam apprehensa, per quam formaliter constituuntur in esse vniuersalium. In hac veritate fundatur doctrina illa Dialecticis certa, propositionem istam: *Petrus est homo*, & illi similes non esse conuertibilem simpliciter, sicut hæc alia: *Petrus est hic homo*.

XLV. GEnus, quod est primum ex prædicabilibus: Est vnum aptum prædicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè. Ex quo illius conceptu patet ipsius generis dari genus; & posse vnum idemq; per diuersas rationes abstrahentes constitui se ipso superius. Differentia prædicatur de pluribus in quale quid. Non consistit in prædicato præcipuo & nobilissimo. Neq; sufficienter illam explicant, qui illa specie differre aiunt, quibus inest capacitas intrinseca terminandi iudicium prudens, quòd multum differant: licet enim verum dicant, in sensu tamen scientifico definitiuo nihil dicunt. Consistit igitur Differentia specifica in quauis dissimilitudine essentiali plurium in eodem genere contentorum. Quæcunque sunt inæqualia in perfectione essentiali differunt specie: non est tamen necesse, quod quæ differunt specie, sint eò ipso inæqualia in perfectione essentiali. Probabilissimum est Differentiam specificam non haberi per aliquod prædicatum simplex, sed per complexum prædicatorum diuisiuè genericorum.

XLVI. SPecies de suis inferioribus prædicatur in quid completè. Ad rationem speciei prædicabilis requiritur realis multiplicabilitas inferiorum; nec sufficit conceptus cum indifferentia negatiua ad plura. Non datur nec est possibi-

lis species creata immultiplicabilis, non solùm rerum materialium, sed etiam immaterialium. Etiamsi enim indiuiduatio rerum formaliter haberetur per characteristicam; sicut entia materialia indiuiduantur per ordinem illum intrinsecum ad hanc potiùs quàm illam accidentium materialium collectionem; ita & entia spiritualia indiuiduari possent per similem ordinem ad accidentia sui generis hæc potiùs quàm illa. Cæterùm hunc ordinem in entibus eiusdem speciei imaginari, est tollere inter similia specie, similitudine specificam. Accidens Proprium est, quod prædicatur in quale necessario & non conuertibiliter. Commune in quale contingenter & non necessario.

XLVII. RElatio est ordo vnius ad aliud: siue ratio & forma, quâ vnum refertur ad aliud. Inter Relationem Prædicamentalem & Transcendentalem hoc discrimen est; quod hæc respiciunt & referuntur ad aliud per hoc ipsum, quod sunt: per prædicatum videlicet secundum suam rationem transcendens omnia prædicamenta: vnicuique enim rei conuenit esse id, quod est: Illa verò, quæ prædicamentaliter sunt ad aliud, ordinantur ad illud per aliquid adueniens contingenter rei, quæ refertur; & propterea speciale constituunt prædicamentum. Datur Relatio Transcendentalis etiam ad terminum implicantem. Relatio prædicamentalis non potest adæquatè identificari fundamento soli proximo: cùm inuariato omnino fundamento adest & abest relatio? Qui à paritate cum Relatione Transcendentali id vrgent, (quam certum est adæquatè esse intrinsecam rei, quæ refertur) manifestam non aduertunt disparitatem: Nam transcendentalis, deficiente termino, ita deficit, vt nec entitas illa sit, cui identificatur relatio; quodsi per impossibile entitas ipsa maneret, sine dubio maneret & relatio illi adæquatè identificata, quomodolibet deficiente termino; cum impossibile sit idem esse & non esse: at in Relatione prædicamentali, cum constantia fundamenti contingit deficere relationem.

XLVIII. NOn est probabile Relationem prædicamentalem consistere in modo superueniente fundamento ad positionem termini; tum quia eorum quæ sunt ad aliud nullus est motus: tum quia siue fingatur hic modus siue non, posito fundamento termino & ratione fundandi, & nullo alio intellecto, habentur omnia constitutiua relationis: quæ non esse formaliter, sed fundamentaliter tantùm, relationem, sine fundamento contenditur. Consistit itaq; Relatio adæquatè in sola ratione fundandi proxima. Hæc enim sola est sufficientissima ratio seu forma, quâ vnum refertur ad aliud. In conceptu relatiuorum vt talium, non necessariò exprimuntur termini vt relatiui.

XLIX. ESsentiæ rerum non distinguuntur ab existentiis suis, nisi sola ratione: alias ipsa Existentia, quæ non caret sua quidditate, per aliam existentiam cum processu in infinitum existere deberet, propter eandem in omnibus indifferentiam ad existendum & non existendum.

L. SVbsistentia in rebus creatis, quæ & Persona honoris gratia in Intellectualibus nuncupatur, præter naturam singularem physicè completam, solam duntaxat addit negationẽ: vlterioris vnionis intrinsecæ ad aliam substantiam: cum enim ratio Personæ ex definitione Boëtii ab Angelico Doctore approbata, sit *naturæ intellectualis indiuidua substantia*; & ab eodem S. Doctore indiuiduum definiatur, *indiuisum in se & diuisum à quolibet alio*; idem erit definitiuè, *Persona*, quod *substantia naturæ Intellectualis indiuisa in se & diuisa à quocunq; alio*; quod autem diuisio à quocunque alio non habeatur sufficienter per negationem vnionis cum alio, dici nequit; cum esse diuisum ab alio, & non esse illi vnitum, sint vnum idemque. De Diuinis aliter philosophandum. Nam in Deo omnia sunt vnum, vbi non intercedit oppositio relationis; adeoq; pluralitas Personarum non potest aliunde profluere, quàm ex eodem fonte; ex quo emanat distinctio in Diuinis: hanc autem fundari in Generatione & spiratione hinc actiua inde passiua, quæ sunt aliquid positiuum, constans est SS. Patrum & Theologorum sensus.